



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

V. Inde paulatim abolitus usus frequentium legationum, tum etiam ob contradictionem Principum & Episcoporum. Melius enim ac consultius visum est abstinere à mittendis Legatis quàm eos exponere tot ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

peres & inopes accedebant ad provincias, repente divites facti, eas statim deponerent, adeo ut non ob aliud venisse viderentur, ut innuit Ivo Carnotensis, quam ut provinciam raptarent sub umbra legationis. Nam sicut torrentes cum hybernis aut fortuitis imbris intumescunt, cuncta objecta rapiunt, domos subruunt, arbores evellunt, & circumpositum latè vastant agrum, sic isti Romani, velut aliquod flumen torrens, quod de veteribus Romanis dicebat Arnobius, data hac ditescendi occasione cunctas submergebant atque obruebant nationes. Hinc tot graves & iustæ provincialium querelæ; quæ tandem extorsit Innocentij III. constitutionem qua modus quidam ponitur his procurationibus, quas sequens ætas prorsus abolevit utiliter in publicum.

Arnob. lib. 1.

III. Interim observandum est non ita generale fuisse eam pestilentiam quin aliqui evaserint. Sed ij, fatendum enim est, tam pauci numero fuere, ut ob eam ipsam abstinentiam valde laudati sint à scriptoribus suorum temporum, tantum quia castè, ut decebat, provinciam administraverant. Nam & eò olim processerat corruptela illa malæ consuetudinis ut inventus sit Legatus qui se gloriaretur non fuisse gravem provincis sanguinique provincialium pepercisse.

IV. Iuvat Legatorum fortunam timor ex potestate eorum, quòd solerent cuncta provincialium negotia in se trahere, Concilia celebrare, Episcoporum electionibus semet immiscere eorumque judicia peragere, denique cuncta vertere prout vellent. Ita quidem feliciter ut plurimum cessere; ex eaque felicitum eventuum fortuna factum est uti eorum memoria magnam sibi auctoritatem magnisque spiritus in rebus ecclesiasticis & Legati sumerent & Pontifices darent. Fuere tamen eæ temporum vicissitudines ut interdum Romanos Pontifices penituerit quòd nimis amplam potestatem Legatis suis tribuissent; qui pravo consilio rem gerentes, nam temeritas non est semper felix, Romanum nomen in invidiam adducebant.

V. Inde paulatim abolitus usus frequentium legationum, tum etiam ob contradictionem Principum, qui reverentiam prohibebant exhiberi Legatis qui sibi non essent accepti, aut quorum mandata putabant sibi ac provinciis esse contraria & infesta. Unde orta consuetudo examinandi eorum facultates antè quam munere suo fungantur in Gallia. Quin & interdum Episcopi detestabant eorum imperium. Itaque melius ac consultius visum est abstinere à mittendis Legatis quam eos exponere tot procellis

ac tempestatibus. His ita enarratis, descendamus nunc ad rem ipsam, per partes visuram quæ heic dicta in aversione sunt.

VI. Nullus hæcenus post sancti Bonifacii obitum, ut Sirmondus observat ex Hincmaro, Pippini Regis & Karoli ac Ludovici Imperatorum temporibus Legatus apostolicæ sedis in Gallia aut Germania fuerat. Præstat autem ipsa Hincmari verba referre, ex quibus nonnulla colligi possunt quæ valde conducunt ad intelligendam seculi illius disciplinam. Sic ergo loquitur ille in epistola XLIV. cap. xxx. *Sancto & venerando viro Bonifacio in Frisia verbum Domini predicante anno incarnationis dominicæ DCCCLIV. martyrio coronato, & simoniaca heresis pravitate & neophytorum præsumptione ac ceteris quibusque pro temporum opportunitate & qualitate compositis, hæcenus provincia Cisalpina, temporibus Pippini Regis & Karoli ac Ludovici Imperatorum, sine hoc Primicerio vel Primate à sede apostolica delegato annos circiter viginti tres manserunt, & Metropolitanis singulis suo jure servato, apostolicæ sedis favore & Principum suorum dispositione secundum sacros canones & decreta ejusdem sanctæ sedis Pontificum quæ fuerunt agenda venerabiles Episcopi per auctoritatem canonum sacrorum & decreta sedis Romanæ Pontificum peregerunt.* Putabat ergo, ut videtur, Hincmarus Metropolitanorum ac reliquorum Episcoporum jura convelli potestatemque deminui cum legatio sedis apostolicæ cuiquam tribuebatur cum jurisdictione.

VII. Extincto itaque Bonifacio, nullus in regno Francorum Legatus apostolicæ sedis fuit per annos nonaginta. Anno demum DCCCXLIV. Drogo Episcopus Metensis, Karoli Magni filius ex concubina, ægrè ferens haud dubiè quòd primum locum amississet super Episcopos Gallicanos post mortem Ludovici Pij, quo vivente fuerat sacri Palatii Archicapellanus, alia ratione putavit prospiciendum esse dignitati suæ, voti porrò compotem se futurum si vicibus apostolicæ sedis ornaretur in regno Francorum. Agitasse ista illum puto cum captum consilium est mittendi Romanam Ludovicum filium Lotharj Imperatoris, ut ea pulcherrima occasione usus Regum patruus, vir præterea rerum agendarum peritia clarus, & qui vivente Ludovico fratre multum ubique auctoritatis habuerat, à Pontifice Romano, qui tum erat Sergius istius nominis secundus, vicariatum sedis apostolicæ per Cisalpinas provincias acciperet. Extant literæ Sergij II. de vicariatu Drogonis, editæ à viro clarissimo Iacobo Sirmondo, ex quibus colligimus Pontificem Drogoni commisisse cunctas provincias cis Alpes constitutas,